

agrum? Colit nos. Et agricola terræ hujus visibilis arare potest, fodere potest, plantare potest; rigare, si aquam invenerit, potest: numquid potest incrementum dare, germen educere in terram, radicem figere, in auras promovere, robur addere ramis, fructibus onerare, foliis honestare, numquid agricola potest? Agricola tamen noster Deus Pater omnia ista potest in nobis. Quare? Quia credimus in Deum Patrem omnipotentem. Ergo tenete quod et proposuimus vobis, et quomodo Deus dare dignatus est exposuimus.

SERMO CCXIV.

In traditione Symboli, III.

Prodit nunc primum ex Remigiano libro ante annos circiter octingentos descripto.

I. PRO modulo ætatis rudimentorumque nostrorum (4), pro tyrocinio suscepti muneris atque in vos dilectionis affectu, qui jam ministrantes altari, quo accessuri estis, assistimus, nec ministerio sermonis vos fraudare debemus. Apostolus dicit: « Quoniam si confessus fueris in ore tuo » quia Dominus est Jesus, et credideris in corde tuo quia » Dominus illum suscitavit a mortuis, salvus eris. Corde » enim creditur ad justitiam, ore confessio fit ad salutem¹. » Hoc in vobis ædificat Symbolum, quod et credere et confiteri debetis, ut salvi esse possitis. Et ea quidem, quæ breviter accepturi estis, mandanda memoriæ

¹ Rom. x, 9, 10.

et ore proferenda, non nova vel inaudita sunt vobis. Nam in sanctis Scripturis et in Sermonibus ecclesiasticis ea multis modis posita soletis audire. Sed collecta breviter et in ordinem certum redacta atque constricta tradenda sunt vobis, ut fides vestra ædificetur, et confessio præparetur, et memoria non gravetur. Hæc sunt quæ fideliter retenturi estis, et memoriter redditori. (Post hanc prælocutionem pronuntiandum est totum Symbolum (5), sine aliqua interposita disputatione: « Credo in Deum Patrem » omnipotentem, » et cætera quæ sequuntur in eo. Quod Symbolum nostis quia scribi non solet: quo dicto, adjungenda est hæc disputatio.)

II. Ista quæ breviter audistis, non solum credere, sed etiam totidem verbis memoriæ commendare et ore proferre debetis. Sed quoniam munienda sunt adversus diversa sentientes et a diabolo captivatos, qui insidiantur fidei, cum adversantur saluti: mementote ita credere « Omnipotentem Deum, » ut nulla omnino natura sit, quam ipse non condidit. Et ideo peccatum punit, quod ipse non fecit; quia eo foedatur natura, quam fecit. Omnes ergo visibiles invisibilesque creaturas, vel quidquid rationabili mente potest esse particeps incommutabilis veritatis, sicuti Angelus et homo; quidquid vivit et sentit, quamvis careat intellectu, sicut sunt cuncta animalia, in terra, in aquis, in aëre, gradientia, reptilia, natalitia; quidquid sine intellectu, sine aliquo sensu, quoquo modo dicitur vivere, sicut sunt ea quæ radicibus figuntur in terra, et in auras germinando erumpunt atque consurgunt; quidquid sola corpulentia locum occupat, sicut lapis, atque ipsius mundanæ molis quæcumque cernuntur vel etiam tanguntur elementa; hæc omnia fecit omnipotens, mediis ima et summa conjungens, et universa quæ creavit locis congruis temporibusque disponens. Fecit autem non ex

aliqua materie, quam ipse non fecit. Non enim aliena formavit, sed ipse quod formaret instituit. Qui enim dicit quod aliud facere de nihilo non potuerit, quomodo credit quod omnipotens fecerit. Sine dubio quippe negat omnipotentem, qui dicit quod mundum Deus facere non posset, si unde faceret non haberet. Nam quæ est omnipotentia, ubi tanta est indigentia, ut ad sui operis effectum, quemadmodum faber pervenire non posset, nisi eum materies quam ipse non instituit adjuvaret? Ab his igitur opinionibus et erroribus purget animum, qui credit in omnipotentem Deum. Illa enim quæ dicitur informis rerum materies, formarum capax et subjecta operi Creatoris, in omnia est convertibilis, quæ placuerit facere Conditori. Non eam Deus velut sibi coæternam, unde mundum fabricaret, invenit; sed eam ipse ex omnino nihilo, cum rebus quas de illa fecit, instituit. Nec fuit ante res ipsas, quæ factæ videntur ex ipsa: ac per hoc omnipotens ex nihilo primitus cuncta fecit, cum quibus fecit pariter unde fecit. Materies itaque cœli et terræ, sicut hæc in principio sunt creata, simul cum ipsis est creata: nec fuit unde fierent quæ Deus in principio fecit: et tamen facta sunt quæ omnipotens fecit, quæ facta composuit, implevit, ornavit. Si enim quæ in principio fecit, ex nihilo utique fecit, etiam ex his quæ fecit quidquid voluerit facere potens est, quia omnipotens est.

III. Nec ideo credant iniqui Deum non esse omnipotentem, quia multa contra ejus faciunt voluntatem. Quia et cum faciunt quod non vult, hoc de eis facit quod ipse vult. Nullo modo igitur omnipotentis vel mutant, vel superant voluntatem: sive homo juste damnetur, sive misericorditer liberetur, voluntas omnipotentis impletur. Quod ergo non vult omnipotens, hoc solum non potest. Utitur ergo malis, non secundum eorum pravam, sed

secundum suam rectam voluntatem. Nam sicut mali natura sua bona, hoc est, bono ejus opere male utuntur; sic ipse bonus etiam eorum malis operibus bene utitur, ne omnipotentis voluntas aliqua ex parte vincatur. Si enim non haberet, quod bonus de malis juste ac bene faceret, nullo modo eos vel nasci vel vivere sineret; quos malos ipse non fecit, quia homines fecit: quia non peccata quæ sunt contra naturam, sed naturas ipsas creavit. Malos tamen eos futuros præscius ignorare non potuit: sed sicut noverat quæ ipsi essent mala facturi; sic etiam noverat quæ bona de illis esset ipse facturus. Quis verbis explicet, quis æquiperet laudibus, quantum nobis bonum contulerit passio Salvatoris, cujus in remissione peccatorum sanguis effusus est? Et tamen tantum hoc bonum per malitiam Zabuli, per malitiam Judæorum, per malitiam Judæ traditoris impletum est. Nec eis juste tribuitur bonum, quod per illos Deus, non ipsi hominibus contulerint: sed eis juste retribuitur supplicium, quoniam nocere voluerunt. Sicut autem aliquid invenire potuimus, quo manifestum esset nobis, quemadmodum Deus etiam malis operibus et Judæorum et Judæ traditoris bene usus est ad nostram redemptionem ac salutem: sic in universa creatura occultis atque subditis sinibus, quos nec oculorum nec mentis acie penetramus, novit quemadmodum malis Deus bene utatur, ut in omnibus quæ nascuntur et administrantur in mundo, voluntas omnipotentis impleatur.

IV. Sed quoniam dixi hoc solum omnipotentem non posse, quod non vult: ne quis me temere dixisse arbitretur aliquid omnipotentem non posse; hoc et beatus Apostolus dixit: « Si non credimus, ille qui fidelis permanet, » negare se ipsum non potest¹. » Sed quia non vult, non potest; quia et velle non potest. Non enim potest justitia

¹ 2 Tim. II, 13.

velle facere quod injustum est, aut sapientia velle quod stultum est, aut veritas velle quod falsum est. Unde admonemur Deum omnipotentem, non hoc solum quod ait Apostolus: Negare se ipsum non potest, sed multa non posse. Ecce ego dico, et ejus veritate dicere audeo, quod negare non audeo: Deus omnipotens non potest mori, non potest mutari, non potest falli, non potest miser fieri, non potest vinci. Hæc atque hujusmodi absit ut possit omnipotens. Ac per hoc non solum ostendit veritas omnipotentem esse, quod ista non possit; sed etiam cogit veritas omnipotentem non esse, qui hæc possit. Volens enim est Deus quidquid est; æternus ergo, et incommutabilis, et verax, et beatus, et insuperabilis volens est. Si ergo potest esse quod non vult, omnipotens non est: est autem omnipotens; ergo quidquid vult potest. Et ideo quod non vult, esse non potest; qui propterea dicitur omnipotens, quoniam quidquid vult potest. De quo et Psalmus dicit: « In cœlo et in terra omnia quæcumque » voluit fecit¹. »

V. Deus igitur omnipotens, qui quæcumque voluit fecit omnia, genuit unicum Verbum per quod facta sunt omnia; sed hoc non de nihilo, sed de se ipso: ideo non fecit, sed genuit. « In principio enim fecit cœlum et terram²: » non autem fecit in principio Verbum, quia; « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus » erat Verbum³. » Hic est Deus de Deo. Pater autem Deus, sed non de Deo. Hic est Filius Dei unicus; quia de substantia Patris, coæternus, æqualis Patri filius nullus alius est. Verbum Deus: non sicut verbum, cujus sonus et corde cogitari potest, et ore proferri; sed, sicut dictum est, quod brevius et melius dici non potest, « Deus erat » Verbum. » Apud Patrem incommutabiliter manens, et

¹ Psal. cxxxiv, 6. — ² Gen. i, 1. — ³ Joan. i, 1.

incommutabilis etiam ipse cum Patre: de quo dicit Apostolus: « Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo¹. » Esse quippe æqualem Patri, natura illi est, non rapina. Sic credimus « In Jesum Christum Filium Dei Patris unicum, Dominum » nostrum. »

VI. Sed quia ille, qui in forma Dei non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo, per quem creati sumus, ut quod perierat quæreret et salvaret, semetipsum exinavit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo: sic in eum credimus quod « Natus sit de Spiritu sancto et virgine Maria. » Utraque enim ejus nativitas mira est, et divinitatis et humanitatis. Illa est de patre sine matre, ista de matre sine Patre: illa est sine aliquo tempore, ista in acceptabili tempore: illa æterna, ista opportuna: illa sine corpore in sinu Patris, ista cum corpore, quo non violata est virginitas matris: illa sine ullo sexu, ista sine ullo virili complexu. Ideo autem dicimus « Natum de Spiritu sancto et » Maria virgine, » quia cum sancta Virgo inquisisset ab Angelo: « Quomodo fiet istud? » ille respondit: « Spiritus » sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit » tibi. » Deinde addidit: « Propterea quod nascetur ex » te sanctum, vocabitur Filius Dei²? » Non ait: Quod nascetur ex te, vocabitur Filius Spiritus sancti. Susceptus quippe a Verbo totus homo, id est, anima rationalis et corpus; ut unus Christus, unus Deus Dei Filius non tantum Verbum esset, sed Verbum et homo, totum hoc Dei Patris est Filius propter verbum, et hominis filius propter hominem. Per id quod Verbum est, æqualis est Patri: per³ id quod homo est, major est Pater. Et simul cum homine Filius Dei est, sed propter Verbum, a quo sus-

¹ Philip. ii, 6. — ² Luc. i, 34, 35. — ³ Forte propter.

ceptus est homo : et simul cum Verbo filius hominis est, sed propter hominem, qui est susceptus a Verbo. Propter cujus sanctam in Virginis utero conceptionem, non concupiscentia carnis urente factam, sed fidei charitate fervente, ideo dicitur « Natus de Spiritu sancto et virgine » Maria : ut unum eorum pertineat, non ad gignentem, sed ad sanctificantem, alterum vero ad concipientem atque parientem. « Propterea, inquit, quod nascetur ex te » sanctum, vocabitur Filius Dei. » Quia sanctum, ideo de Spiritu sancto; quia nascetur ex te, ideo de virgine Maria; quia Filius Dei, ideo « Verbum caro factum est¹. »

VII. Oportebat autem ut in homine assumpto, non solum invisibilis videretur, et Patri coæternus temporaliter nasceretur; verumetiam incontrectabilis teneretur, insuperabilis ligno suspenderetur, inviolabilis clavis configeretur, et vita et immortalis in cruce moreretur, in monumento sepeliretur: hoc totum Dei Filius Dominus noster Jesus Christus. Unde consequens est ut eundem ipsum Filium Dei unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum, non solum hominem ex homine natum, verumetiam usque ad mortem et sepulturam humana passum, et corde credamus ad justitiam, et ore confiteamur ad salutem. Cum enim sit totus Filius Dei unicus Dominus noster Jesus Christus Verbum et homo, atque ut expressius dicam, Verbum, anima, et caro; ad totum refertur quod in sola anima tristis fuit usque ad mortem; quia Filius Dei unicus Jesus Christus tristis fuit²: ad totum refertur quod in solo homine « Crucifixus est, quoniam Filius Dei unicus Jesus Christus crucifixus est: ad totum refertur quod in sola carne « Sepultus est. » Ex quo enim cœpimus dicere credere nos « In Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum, » ex illo

¹ Joan. I, 14. — ² Matth. xxvi, 38.

quidquid aliud de illo dicimus, non subauditur nisi Jesus Christus Filius Dei unicus Dominus noster. Nec miremini: sic enim dicimus Filium Dei unicum Jesum Christum Dominum nostrum sepultum, cum sola caro ejus sepulta sit; quemadmodum, verbi gratia, dicimus apostolum Petrum hodie jacere in sepulcro, cum et illud verissime dicamus eum in requie cum Christo gaudere. Eundem quippe Apostolum dicimus: non enim duo apostoli Petri, sed unus est. Eundem ergo ipsum dicimus, et in solo corpore jacere in sepulcro, et in solo spiritu gaudere cum Christo. Additur autem « Sub Pontio Pilato, » sive unde colligatur temporis veritas, sive unde Christi plus commendetur humilitas, quod sub homine judice sit tanta peressus, qui judex vivorum et mortuorum est cum tanta potestate venturus.

VIII. « Tertio vero die resurrexit » in carne vera, sed nequaquam ulterius moritura. Hoc Discipuli ejus oculis manibusque probaverunt; nec eorum fidem deciperet tanta bonitas, nec falleret veritas. Sed propter breviter cito subjungitur quod « Ascendit in cœlum. » Nam quadraginta diebus fuit cum Discipulis suis; ne tam magnum resurrectionis ejus miraculum, si eorum oculis cito subtraheretur, ludificatio putaretur. Ubi nunc « Sedet ad » dexteram Patris: » quod fidei oculis prudenter debemus intueri; ne arbitremur in aliqua sede immobiliter fixum, ut ei stare vel ambulare non liceat. Non enim quia Stephanus sanctus eum stantem videre se dixit¹, ideo vel ille falsum vidit, vel Symboli hujus verba turbavit. Absit hoc putare, absit hoc dicere. Sed illius habitatio in excelsa et ineffabili beatitudine ita significata est, ut illic sedere diceretur. Unde etiam sedes habitationes dicuntur; velut cum interrogamus ubi sit aliquis, et respondetur: In sedi-

¹ Act. vii, 55.

bus suis. Et de servis Dei maxime ac sæpissime dicitur: Tot annos ille in illo vel illo monasterio sedit, hoc est, requievit, commoratus est, habitavit. Nec sancta Scriptura hoc genus locutionis ignorat. Ille quippe Semei a rege Salomone in Jerusalem civitate jussus habitare, addita comminatione, ut si quando inde auderet exire, pœnas debitas lueret, per tres ibi annos sedisse perhibetur, quod intelligitur habitasse¹. Dextera vero ipsa Patris non ita dicitur secundum humani corporis situm, tanquam Filio sit ipse ad sinistram, si ei secundum istos corporeos situs habitusque membrorum Filius collocatur ad dexteram. Sed « Ad dexteram Dei » dicitur, honoris et felicitatis inenarrabilis celsitudo. Sicut de Sapientia dictum legitur: « Sinistra ejus sub capite meo, et dextera ejus amplectitur » me². » Si enim subter jacuerit terrena commoditas, tum desuper amplectitur æterna felicitas.

IX. De sublimi ergo habitatione cœlorum, ubi nunc est ejus etiam immortale jam corpus, Dominus noster Jesus Christus « Ad judicandos vivos mortuosque venturus » est, » secundum evidentissimum angelicum testimonium, quod scriptum est in Actibus Apostolorum. Intuentes enim Discipuli Dominum ascendentem in cœlum, et eum suspensis aspectibus deducentes, audierunt Angelos dicere: « Viri Galilæi, quid hic statis? Hic Jesus, qui » receptus est a vobis, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum³. » Repressa est multa et diversa continens humana præsumptio. In ea forma judicabit Christus, in qua judicatus est. Sic enim eum viderunt Apostoli ascendentem in cœlum, quando audierunt sic esse venturum. Illa forma erit conspicua vivis et mortuis, bonis et malis: sive bonos intelligamus nomine appellatos esse vivorum, malosque mortuorum; sive illos accipia-

¹ 3 Reg. II, 38, ἐξέλιπε, juxta LXX. — ² Cant. II, 6. — ³ Act. I, II.

mus, quos nondum finisse istam vitam inveniet ejus adventus, mortuos autem quos ejus præsentia suscitabit, sicut ipse in Evangelio loquitur, dicens: « Veniet hora, » quando omnes qui sunt in monumentis, audient vocem » ejus, et procedent qui bene fecerunt in resurrectionem vitæ; qui mala egerunt, in resurrectionem judicii¹. » Et illi videbunt in forma hominis in quem crediderunt, et illi quem contempserunt. Formam vero Dei, qua æqualis est Patri, impii non videbunt. Tolletur enim impius, sicut dicit Propheta, ne videat claritatem Domini². Et, « Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt³. » Hæc de Jesu Christo Filio Dei unico Domino nostro satis dicta sint.

X. Credimus enim « In Spiritum sanctum, » de Patre procedentem⁴, nec tamen filium: super Filium manentem⁵, nec Filii patrem: de Filii accipientem⁶, nec tamen Filii filium: sed Spiritum Patris et Filii; Spiritum sanctum et ipsum Deum. Non enim haberet tale templum, si non esset Deus, unde dicit Apostolus: « Nescitis quia » corpora vestra templum in vobis Spiritus sancti est, » quem habetis a Deo⁷? » Non creaturæ templum, sed Creatoris. Absit enim a nobis, ut templum simus creaturæ: cum dicat Apostolus: « Templum enim Dei sanctum » est, quod estis vos⁸. » In hac Trinitate non est aliud alio majus aut minus, nulla operum separatio, nulla dissimilitudo substantiæ. Unus Pater Deus, unus Filius Deus, unus Spiritus sanctus Deus. Nec tamen Pater et Filius et Spiritus sanctus tres dii, sed unus Deus. Ita ut non sit ipse Pater qui Filius, nec Filius sit qui Pater, nec Spiritus sanctus sit aut Pater aut Filius: sed Pater Filii Pater, et

¹ Joan. V, 28, 29. — ² Isai. XXVI, 10, juxta LXX. — ³ Matth. V, 8. — ⁴ Joan. XV, 26. — ⁵ Id. I, 32. — ⁶ Id. XVI, 14. — ⁷ I Cor. VI, 19. — ⁸ Id. III, 17.

Filius Patris Filius, et Spiritus sanctus Patris et Filii Spiritus: et singulus quisque Deus, et ipsa Trinitas unus Deus. Hæc fides imbuat corda vestra, et confessionem dirigat. Hoc audiendo credite, ut intelligatis; ut quod creditis, intelligere proficiendo valeatis.

XI. « Sanctam quoque Ecclesiam, » matrem vestram, tanquam supernam Jerusalem sanctam civitatem Dei, honorate, diligite, prædicate. Ipsa est quæ in hac fide, quam audistis, fructificat et crescit in universum mundum¹, Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis²: quæ malos in fine separandos, a quibus interim discedit disparilitate morum, tolerat in communionem sacramentorum. Hæc propter sua frumenta inter paleas modo gementia, quorum in novissima ventilatione massa horreis debita declarabitur, claves accepit regni cælorum; ut in illa per sanguinem Christi, operante Spiritu sancto, fiat « Remissio peccatorum. » In hac Ecclesia reviviscet anima, quæ mortua fuerat peccatis, ut convivificetur Christo, cujus gratia sumus salvi facti.

XII. Sed nec de ista carne mortali, quod resurrectura sit in sæculi fine, dubitare debemus. « Oportet enim cor- » ruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc » induere immortalitatem³. Seminatur in corruptione, » surget in incorruptione: seminatur in contumelia, sur- » get in gloria: seminatur corpus animale, surget corpus » spiritale⁴. » Hæc est christiana, hæc catholica, hæc apostolica fides. Credite Christo dicenti: « Capillus ca- » pitis vestri non peribit⁵: » et infidelitate depulsa, quanti valeatis, potius cogitate. Quid enim nostrum a Redemptore nostro contemni potest, quorum capillus contemni non potest? Aut quomodo dubitabimus quod animæ et

¹ Coloss. 1, 6. — ² 1 Tim. 3, 15. — ³ 1 Cor. xv, 53. — ⁴ Ibid. 42, 43. — ⁵ Luc. xxi, 18.

carni nostræ vitam daturus sit æternam, qui pro nobis animam et carnem, et suscepit in qua moreretur, et posuit cum moreretur, et recepit ne mors timeretur? Omnia quæ traduntur in Symbolo pro modulo nostro, fratres mei, Vestræ exposui Charitati. Quod ideo Symbolum dicitur, quia ibi nostræ societatis fides placita continetur, et ejus confessione tantquam signo dato Christianus fidelis agnoscitur. Amen.

SERMO CCXV¹.

In redditione Symboli.

I. SACROSANCTI martyrii Symbolum, quod simul accepistis, et singuli hodie reddidistis, verba sunt in quibus matris Ecclesiæ fides supra fundamentum stabile, quod est Christus Dominus, solidata firmatur: « Fundamentum » enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum » est, quod est Christus Jesus². » Accepistis ergo, et reddidistis, quod animo et corde semper retinere debetis, quod in stratis vestris dicatis, quod in plateis cogitetis, et quod inter cibos non obliviscamini; in quo etiam dormientes corpore, corde vigiletis. Renuntiantes enim diabolo, pompis et angelis ejus mentem atque animam subtrahentes, oblivisci oportet præteritorum, et vetustate prioris vitæ contempta, cum novo homine vitam quoque ipsam sanctis moribus innovare; et sicut Apostolus dicit, quæ retro sunt obliti, atque in ea quæ ante sunt extenti, sequi ad palmam su-

¹ Alias ex Vignerianis 16. — ² 1 Cor. 3, 11.